

## **Theologia Scholastica**

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice  
De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

**Ulloa, Joannes de  
Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719**

Caput V. Propositio quinta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

liberum existere, *quia volo*, de ista volitione, quænam est ratio strictè a priori? si assignes aliam, de illa rogo idem, & caveas ne in longum eamus. Unde ad agium illud: ab indifferente ut indifferente non potest oriri determinatio, locum non habet in indifferencia libertatis, nam hæc à se, & non ab alio determinatur, alias cum etiam Deus sit indifferens ad suos actus liberos, quærendus esset alius, à quod oriretur determinatio Dei ad illos; solum igitur habet locum in indifferentiæ incompletionis, in remota, in pure conditionata, & legitimus Universalis que illius sensus est *Nil indifferens ex se ad plura*; *est se connexum determinatè cum aliquo illorum*: seu: *est antecedens legitimum ad concludendum determinatè unum ex illis*. Quæ ambo evidencia sunt. Quod si quæras rationem motivam, aut impulsivam voluntatis, dabo motiva illa, sècundum rationes alientes, per quas constituitur illa libertas A. Si quæras rationem exercitè, ac per modum cause formalis moventem indifferenter ad consensum, dabo auxilium illud, per quod constituitur illa libertas, id est, illustrationes intellectus, aut motiones voluntatis, aut utrasquæ, quæ Deus largitur homini illi.

LXXXVII. Probo quartam partem, scilicet conditionatum objectivum scientiæ mediæ interdum extitum, existere, vel extitisse in rebus: interdum non. Tum quia in præscientiis conditionatis, infra de promendis ex scriptura, videbis conditionatum objectivum aliquando extitisse, aliquando nunquam extitisse: ergo uni actus scientiæ mediæ habent conditionatum existens, alii non existens: & ratio est: Deus de omni prorsus libertate activa, id est in actu primo sumpta, infallibiliter scit, quid ageret, & quomodo se gereret, si existat. At inter libertates creatas unæ aliquando existunt; alia, & quidem infinitæ nunquam extitæ sunt in rebus, & consequenter unæ aliquando agent illud, quod prævidetur acturæ, alia nunquam illud agent, quia nunquam existent; ergo. Verumtamen scientia media ab utrovis præscindit; nam licet illud conditionatum re ipsa sit extitum, & hoc evidenter sciat Deus, non tamen per scientiam medium, sicut nec per scientiam

necessariam; sed per scientiam liberam visionis, id est utrumlibet scit DEUS, sed scientia, qua scit unum, est scientia media: & qua scit alterum, est scientia visionis: quemadmodum scit Deus solem esse possibilem, & insuper actu existere; sed scientia, qua scit primum, est naturalis, & necessaria; qua verò scit secundum est contingens, & libera.

LXXXVIII. Ultima pars erat: scientiam medium non esse pure speculativam, sed etiam practicam. Licet namquæ non sit practica physicæ, quia non dicit modum efficiendi suum objectum, est practica moraliter, quatenus dictans bonum, aut malum usum libertatis A, dirigit Deum ad ipsam conferendam, vel negandam; sicut similes nostræ cognitioes conditionatae contingentes alli- ciunt, aut retrahunt nos ab operando. Nec refert scientiam medium esse quoquæ speculativam; nam cognitio, quæ speculatur suum objectum potest attrahere, aut retrahere ab ipso; propoundingo scilicet faustum, vel infaustum effectum, qui sequitur illud. Solum ergo sunt differentiae essentialiter oppositæ constituentes scientias diversas, *Practicum pure*, ac, *speculativum pure*, non autem practicum, & speculativum in genere. Dissidium vocale quod spectat ad Logicos.

## CAPUT V.

### Quinta Propositio.

LXXXIX. **S**cilicet. Nullus actus scientiæ mediæ directæ connectitur cum actu ullo scientiæ mediæ reflexæ, aut viceversa; id est veritas hujus scientiæ. *Si DEUS largiatur libertatem A*, hæc intrinsecè constituta per gratiam DEI, bene operabitur, gratia illa in suo genere cooperante, nullam habet, aut terminat connexionem respectu hujus scientiæ mediæ reflexæ. *Si DEUS prævideret libertatem A male operaturam*, non largiretur illam v.g. *Deipara*. Nullus item connectitur cum veritate, in sensu determinato scientiæ conditionalis inversæ, assumens præ hypothesis defectum prioris conditionati, & præ conditionato defectum hypothesis prioris, v. g. veritas hujus scientiæ: *Si existat libertas A, consentiet*, neque

nequè habet, nequè terminat connexionem respectu hujus, *Si non consentiat libertas A, non existet.* Verumtamen omnis actus scientiæ mediæ connectitur cum veritate disjunctiva vagante inter defectum conditionis, & existentiam conditionati, & cum veritate absolute negante coëxistentiam conditionis, & carentiæ conditionati; sed non omne metaphysicè connexum cum aliqua ex his duabus veritatibus connectitur cum eo actu scientiæ mediæ. Denique hujus determinativum subjectivum est infinita ipsa Divinae mentis perspicacia: objectivum autem, id est verificativum formale, & immediatum, est illud solum singulare exercitium positivum, aut negativum, quod ipsa scientia enunciat conditione v. g. *consensus A, nascitur in tali tempore, ab ea individualia libertate*, quæ assumitur pro hypothesi; Unde determinativum objectivum formale, ac immediatum unorum actuum scientiæ mediæ est de præsenti existens absolute, aliorum verò nihil est de præsenti, sed vel fuit, vel erit, velesset. Duas priori respartes ostendam infra, quando solam sophismata, quæ possunt fieri contrà scientiam medium, desumpta ex contradictrio utriusquè hujus partis.

XC. Probo 3.<sup>am</sup> partem, scilicet omnem actum scientiæ mediæ connectum illa veritate disjunctiva, id est hunc actum. *Si in A detur libertas A, in A consentiet*, connecti cum hac veritate, *Vel non existet in A libertas A* (ecce defectum conditionis) *Vel existit consensus in A.* (Ecce existentiam conditionati) quia omne oppositum metaphysicè coëxistentiæ duorum connectitur metaphysicè cum eo, quod unum, vel alterum deficiat: Sed veritas ista conditionalis opponitur metaphysicè cum eo, quod in instanti A coëxstant libertas A, & carentia sui consensus; nam opponitur sua falsitati, quæ sanè daretur, si in A existeret libertas A, & non consentiret; ergo ea veritas conditionalis connectitur metaphysicè cum eo, quod in A, vel non detur libertas A, vel deficiat carentia consensus, hoc est detur consensus ipse. Sed non è converso, quia non omne metaphysicè connexum cum ea veritate disjunctiva est connexum cum illa condi-

tionali. Cum enim ad veritatem disjunctivam sufficiat unum disjunctionis extremum, sequitur *solum carentiam libertatis A* in eo instanti inferre metaphysicè veritatem illam disjunctivam; at sola carentia libertatis A, in eo instanti non connectitur metaphysicè cum hac veritate conditionali, *Si in A existat libertas A, consentiet*; alias omnes libertates purè possibles, & consequenter nunquam extituar, forent efficaces: nam inferent dictam veritatem conditionalem, ex qua infertur illas efficaces fore; ergo non omne connexum cum ea disjunctiva, est connexum cum ea conditionali.

XCI. Et ratio est. Eo ipso, quod aliquid connectatur privatim cum uno extremo disjunctivæ, connectitur cum hujus veritate; sed fieri potest, quod connectatur privatim cum eo uno extremo, & non cum eo, quod si deficit illud unum, existat alterum; nam sol connectitur cum suo splendore sufficiente ad verificandum hanc disjunctivam *Vel Sol splendet, vel volat Bos*, & tamen non connectitur cum eo, quod deficiente suo splendore volet Bos; nempe quia defectus extremi unius, nequè formaliter, nequè illativè est, quod se existente, existat alterum extremum disjunctivæ propositionis: ergo. Multi, & pulchri Syllogismi objici possunt ad probandum oppositum, scilicet ad probandum omne connexum cum eo, quod *Vel deficiat libertas A, vel existat consensus*, esse connexum cum eo, quod si non deficiat libertas A, id est si illa existat, existat quoque consensus: Eos brevitatis gratiâ sua speculationi relinquo, & eos insinuavi in Prodromo Disp. 5. cap. 6. Et uno verbo dico illos esse invalidos, si veritas disjunctiva fundatur in extremo privatim, ac determinatè connexo, vel opposito cum uno extremo disjunctivæ ob nuper dicta. Validos autem & legitimos, si fundentur in extremo non sic privatim opposito, aut connexo. Et hoc non est, quod nego in conclusione.

XCII. Probo similiter 4.<sup>am</sup> partem, scilicet prædictam veritatem conditionalem connecti cum hac veritate absolute negativa: *Non conjungentur in A libertas A, & carentia sui consensus*; nam omne oppo-

oppositum metaphysicè cum eo, quod conjungantur, connectitur cum eo, quod non conjungantur, quia cum non detur medium inter *conjungi*, & non *conjungi*, quidquid per suam essentiam excluderit unum, per suam essentiam trahit alterum. At veritas ea conditionalis metaphysicè opponitur cum eo, quod in instanti A conjungantur libertas A, & carentia sui consensus, siquidem metaphysicè opponitur suæ falsitati, & certè fore falsum dicere. *Si in A datur libertas A, conseniet, casu quo in A daretur libertas A cum carentia consensus: ergo; sed non è converso, non omne conexum metaphysicè cum ea absoluta negativa connectitur cum illa conditionali;* nam Decretum Divinum efficax negandi libertatem A connectitur cum hac veritate absoluta, & negativa, & tamen non connectitur cum illa conditionali, alioquin omnes libertates, quas Deus negat, forent efficaces, quandoquidem libertatis efficacia consistit formaliter, vel illativè in ea veritate conditionali; ergo.

**XCIII.** Eratio est; Eo ipso, quod aliquid privatim connectatur cum eo, quod in A non detur libertas A, connectitur cum ea veritate absoluta negativa, id est. *Non cōexistit in A libertas A, & carentia sui consensus.* Sed fieri potest, quod privatim connectatur cum eo, quod in A non detur libertas A, quin connectatur cum eo, quod si illa detur in A, detur quoquè consensus in A; sicut decretum efficax divinum tollendi Petrum de medio, connectitur cum eo, quod ille non existat, & consequenter cum eo, quod non cōexistat carentia Turcæ, quin connectatur cum eo, quod si Petrus existat, existat quoque Turca. Videlicet, quia mera non existentia Petri, neque identicè, nequè connexivè est Turcam existere, si existat Petrus: ergo. Multos similiter, & speciosos Syllogismos considerabis in contrarium, quos ea Disp. 5. cap. 5. dedi; scito tamen illos pulchritudine sua fallere; nam possunt inniti fundamento privatim connexo cum uno extremo illius copulativæ, & tunc nihil concludunt ob exemplum, & rationem datam, licet bene concludant, quando hoc fundamentum non

*R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.*

habuerint. Quod si hinc inferas, fore ut illa veritas conditionalis, quæ à parte rei est scientia media, trahat secum aliquam veritatem absolutam contingenter (nempe illam veritatem absolutam negativam) qua independens sit à divino decreto, Respondeo, quod sèpè adverti. Illa veritas absoluta negativa, non cōexistit libertas A, & carentia consensus, triplex fundamentum habere potest.

1. Quod non existat unquam libertas A.
2. Quod non existat carentia consensus, nam certè utrovis modo non cōexistit libertas A, & carentia consensus.
3. Quod casu quo existat libertas A, non existet carentia consensus. Duo priores sensus sunt absoluti simpliciter pendentesque à divino decreto; sed in neutrō illorum connectitur scientia media cum illa absoluta negativa; tertius est revera sensus conditionalis, & in eo solo connectitur cum ea negativa, quæ grammaticaliter est absolute scientia media: Unde hanc, & illam non pendere in hoc sensu à decreto, est sententia nostra.

**XCIV.** Quinta pars de Determinativo scientiæ mediæ multum multis facit negotium, sed forte trepidaverunt timore, ubi non erat timor, ut sapissimè exposui, & de novo expono, si forte semel capiatur. Imprimis determinativum subjectivum scientiæ mediæ est illud, quod mentem Divinam determinat, ut agnoscat consensus v. g. potius, quam diffensum processurum à libertate A, si hæc existat, ubi primum hoc agnoscibile fuerit; sed quod sic determinat, est perspicacia ipsa infinita ipsius intellectus Divini, qui per se ab intrinseco est determinatus ad sciendum omne scibile, simul ac scibile fuerit, & per eum modum cognoscendi, per quem scibile est; ergo hæc perspicacia est determinativum subjectivum scientiæ mediæ, sicut etiam scientia necessariæ, ac liberæ. Hoc est determinativum se habens ex parte D E I cognoscentis, & hac de causa vocatur determinativum subjectivum, id est, se habens ex parte subjecti cognoscentis. Ubi ne hæreas voce subjectivum; quia non agnoscimus D E I esse ullius accidentis receptivum. Determinativum autem objectivum potest considerari duplex: Unum illativum, &

radi-

radicale, illud scilicet, quod actu de praesenti existit, sitque metaphysicè connexum cum eo, quod ex libertate A, casu quo existat, potius procedat consensus, si scientia media fuerit affirmativa, vel potius carentia consensus, si negativa fuerit. Hujusmodi determinativum esset decretum illud Divinum, quod vocant adversarii subiectivè absolutum, & terminativè conditionatum, & quod a iunt esse futuritionem ipsam formalem nostræ operationis liberæ, vel saltem radicem illius propter illos transitus, quos communisuntur quidam, ab unitatibus ad alios. Hoc inquietunt de praesenti existere, & illo, velle Deum omnino resolutè, ac irresistibili, quod ex tali libertate creata, casu quo existat, prodeat talis potius operatio, quam alia. Sed cum hoc decretum sic antecedens, nec non aliud comitans, quod ponunt aliqui Scotistæ, rejecturus sim postea, idcirco determinativum objectivum scientiæ mediae remotum, & radicale, nullum proflus est. Quocirca quoties de eo inciderit sermo affirmativus; negandum est suppositum.

XCV. Alterum est determinativum objectivum formale, & immediatum, & hoc dico esse individuam illam operationem, quam ponere libertas A, si existet, vel individuam illam carentiam operationis, quam non ponere, si loquamus de scientia media negativa, cumque nunc de praesenti existant absolute in orbe terrarum innumera exercitia libera, quæ Deus ab æterno prævidit per scientiam medium; Item nunc de praesenti non existant innumera alia exercitia libera, quæ ab æterno Deus prævidit purè conditionatè, idcirco dico determinativum objectivum unorum actuum scientiæ mediae nunc de praesenti existere; aliorum verò nunc de praesenti non existere, seu nihil esse. Sed quid est operatio illa, quam conditionatè tantum prævidit per scientiam medium? Resp: nunc de praesenti nihil, quia nunc de praesenti non existit, sed esset aliquid, si ponere ea libertas in rebus, sicuti Adam de praesenti nihil est, sed verè fuit aliquid, Antichristus de praesenti nihil est, sed verè erit aliquid. Rursus quid est, operationem illam aliquid fore? Repono ego:

Quid est rem aliquid esse? Respondebis id consistere in eo, quod res non sit purum nihil, excludat suum contradictionum, sit extra suas causas, si causas habeat. Similiter respondeo tibi, operationem, id est, consensum fore sub libertate A, consistit formaliter immediatè in eo, quod in illo casu aliquid esset, non esset purum nihil, excluderet suum contradictionum, esset extra suas causas, distinguatur à purè possibili. Sicut enim non solum mente, sed etiam verbis agimus de his, quæ nunc de praesenti sunt, vel non sunt: ita de eis, quæ essent, aut non essent, fuerunt, aut non fuerunt, erunt, aut non erunt, possunt, aut non possunt esse. Ille igitur individuus, & singularis consensus, qui nunc nihil est, esset tamen aliquid, & existeret in rebus, si daretur libertas, (in quo stat futuratio formalis conditio- nata) est verificativum seu determinativum objectivum formale, & immediatum hujus actus scientiæ mediae. Si existat libertas A, elicit consensum, preventa, & excitata per gratiam DEI, cui resili potest. Sicut illa individua vita Adami, quæ modo nihil est, sed olim fuit (in quo stat præterito formalis) est verificativum, seu determinativum objectivum formale, & immediatum hujus scientiæ. Adamus vixit. Et illa individua praesentia, quæ modo habet Turca Constantinopoli, & hic Romæ nihil est, verificat formaliter immediatè hic Romæ, seu determinat hanc scientiam veram Romæ: Turca existit Constantinopoli.

XCVI. Ratio horum omnium est. Verificativum, scilicet determinativum objectivum formale, ac immediatum cuiusvis propositionis est id solum, quod propositione ipsa enunciatur directè, vel indirectè. At propositio haec. Si existat libertas A constituta, & confortata, per gratiam DEI dictam, elicit consensum A, ut sic confortata, & preventa, duntaxat enunciatur consensum A sub ea hypothesi; ergo solus ille individuus consensus exiturus sub ea hypothesi, ut sic præcisè extiturus, est verificativum, seu determinativum objectivum formale, ac immediatum illius propositionis, quæ est unus actus scientiæ mediae, & sola omissione consensus determinanda per libertatem B est

B est verificativum immediatum, seu immediatum determinativum scientiae mediae negativae. Scilicet *Si exigit libertas B, non obstante gratia DEI, quae preventetur, & adjuvatur, non consentiret.* Minor est certa, nam vel est possibilis, vel non est possibilis propositio, quae illud duntaxat enunciat. Si primum. En minorem nostram, nam de istius generis propositione loquimur, & ista est, quae vocatur scientia media. Si secundum, cedo par contradictoriorum. Itaque vel putas defendi a nobis, ut scientiam medium, actum aliquem enunciarem illud, & insuper aliquid aliud contingens (& sic requireter sanè ad sui veritatem aliquid de praesenti existens: Sed falleris, quia actus iste non est scientia media, quam docemus, sed quam tu communisceris) vel putas esse scientiam medium, actu pure, ac praecepsè enunciarem illud, & sic bene judicas; Sed non requirit ad sui veritatem quidpiam contingens, actu absolutè de praesenti existens, præter ipsam scientiam mediæ, quæ sanè est quid contingens actu existens. Sicut nequè hæc propositio. *Petrus currit, eget ad sui veritatem, quod ille sit rufus, siquidem nequè enunciatur, nequè supponit directè, aut indirectè illum colorem.*

**XCVII.** Major quoquè primi Syllogismi est *vera*. Tum quia determinativum objectivum est ratio immediata à priori, cur sit vera propositio, quæ vera est. At ratio objectiva immediata à priori, cur est verum dicere *Sol lucet?* est quia re ipsa lucet: Cur immediate objectivè à priori est verum dicere, *Turca non est Romæ.* Est, quia re ipsa Romæ non est. Cum ergo ideo immediate à priori sit verum dicere. *Si daretur libertas A, ipsa ut preventa, & excitata per gratiam DEI, consentiret,* quia revera consentiret; & ideo immediate à priori sit verum dicere, *non consentiret,* sit, quia revera non consentiret, palam sit, quod consensus ille, qui daretur, sit determinativum objectivum immediatum scientiae mediæ affirmativa, & omissione illa consensus sit determinativum immediatum scientiae mediæ negativæ. Tum quia ab eo, quod res est, vel non est, distributione accomoda, & fervatis servandis, propositio

*R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.*

R. 2

dicitur vera, vel falsa, id est eò præcisè, quod res fuerit, licet modo non sit, est verum dicere *fuisse*, & eò præcisè, quod non fuerit, licet modo sit, est verum dicere, *non fuisse*, & similiter discurrendo per omnes differentias temporis, & loci. Hoc in praesentiarum. Eò præcisè, quod consensus futurus esset sub libertate A preventa, & excitata per gratiam Dei, id est, intrinsecè constituta per hanc, est verum dicere, *Effet sub illa libertate, & eò præcisè, quod non futurus sit sub ea libertate, existat nec nè de praesenti, est verum dicere, quod non esset sub ea libertate.* At licet nunc de praesenti non existat, seu nihil prorsus sit exercitium illud, est tamen verum, ut supponimus, futurum fore sub libertate A, quod si supponere nolueris, supponimus contradictorium (sub illa quippe libertate alterum ex duobus debet existere, nisi putes, quod posita libertate A, nequè dabitur consensus, nequè non dabitur) & sic habebis actum scientiae mediæ, qui sit contradictorius affirmativo; ergo licet exercitium illud nunc de praesenti nihil sit, nihilominus nunc de praesenti est verificativum, seu determinativum objectivum prædictæ scientiae mediæ, id est, nunc de praesenti existit, & est vera scientia media, quæ purè conditionatè enunciatur illud.

**XCVIII.** Et ratio est, quando scientia directè, vel indirectè enunciatur, suum objectum esse aliquid, seu existere de praesenti, est quidem necessarium, quod sit aliquid existens de praesenti, secus quando id, nequè directè, nequè indirectè enunciatur. Similiter quando enunciatur suum objectum esse in hoc loco, requirit ad suam veritatem, quod sit in hoc loco, secus, quando non enunciatur esse Romæ, sed esse Constantinopoli. Et sic solvitur solemnis ille Paralogismus scilicet. *Si determinativum scientia media esset exercitium illud libertatis, quod procederet à libertate A, casu quo hæc existeret, sequeretur nihil esse determinativum scientia media, quandoquidem exercitium illud nequè est, nequè fuit, sed solum esset.* In primis sequela ista, si sit universalis, est falsa. Cum enim per scientiam medium non solum agnoscat Deus conditionatè exercitia libera, quæ numquam erunt, sed etiam

etiam omnia, quæ actu sunt in mundo quæque fuerunt, & erunt. sicut per scientiam necessariam non solum agnoscit esse possibile id, quod nunquam erit, sed etiam illa omnia, quæ actu sunt: Sequitur determinativum objectivum multorum actuum scientiæ mediæ non esse purum nihil, sed aliquid actu absolute existens in rebus, ut paulo ante dicebam. Deinde distinguo sequelam; nihil esset nihileitate opposita præsenti, actuali, & physicæ existentiæ, permitto (sed cum scientia media non enunciat aliquid esse nunc de præsenti, ipsius veritati non officit hæc species nihileitatis) nihil esset nihileitate opposita existentiæ veræ, & reali, sub hypothesi, quod existeret libertas A, nego: quia in ea hypothesi verè, & realiter existeret, ut supponimus, & con sequenter falsum est, quod tunc nihil esset; Cumquæ hæc sola species nihileitatis officeret veritati illius actus conditionalis scientiæ mediæ, ideò non habes nihileitatem determinativi scientiæ mediæ, quæ huic officeret.

XCIX. Hoc totum explico exemplo existentiæ localis; nam etiam in hoc loco non est, seu nihil est, Turca, & tamen in hoc loco est vera propositio enuncians ipsius distantiam ab hoc loco. Quod si terminis istis determinare, verificare, intelligas quid crassum, & physicum de præsenti existens ut est currere, loqui, ambulare &c. omnino tibi damus, quod in hoc sensu non determinat, non verificat scientiam medium exercitium illud libertatis, quod foret. Sed extrâ chorū saltas, nam verificare, seu determinare scientiam est aliquid physicum, ac de præsenti existens, quando scientia enunciat, vel supponit hoc, secus quando nec enunciat, nec supponit, sed tantum est futurum fore sub hypothesi libertatis A, quando scientia pure, & præcisè enunciat hoc, seu olim extitisse, quandc hoc præcisè enunciat seu cras extitum quando hoc, & non aliud enunciat; Sicut Turcam verificare, aut determinare scientiam in hoc loco, est Turcam existere in hoc loco, quando sermo est de scientia enunciante, vel supponente illum esse in hoc loco, secus quando sermo sit de scientia præcisè enunciante eum esse alibi. At scientia media non enunciat, aut supponit exercitium liberum extitisse, existere, aut

exititum esse, sed solum enunciat illud exititum fore casu quo derur libertas A, v. g. ut discretione earum conditionalium paulo ante scriptarum ostendi: Ergo illa species determinationis, aut verificationis actu absolute de præsenti, quæ sit aliquid physicum de præsenti existens, non venit ad rem præsentem de scientia media.

C. Exercitum igitur liberum actu de præsenti non existens, actu de præsenti, atquæ ab æterno determinat, seu verificat scientiam medium, scilicet modo huic proportionato, quæ tendit purè conditionatè; nam licet illud exercitium non existat actu physicè de præsenti, tamen existeret, si daretur libertas A, ut supponitur. Et hoc sufficit, ut actu de præsenti, atquæ ab externo determinet objectivè actum scientiæ mediæ, id est, ut hic actus nunc de præsenti, & ab æterno sit verus; sicut Turcam existere Constantinopoli, sufficit, ut in hoc loco sit vera propositio solum enuncians Turcam existere ibi. Doctrina hæc subsistit, tametsi necessarium foret decretum illud Divinum subjectivè absolutum, & terminativè conditionalum, quod ponunt prædeterminantes. Aliud namquæ esset, quod istud decretum prærequiratur ad hoc, ut operatio libera creature sit futura conditionatè. Aliud autem, quod in ipso stet formaliter immediatè futuritio ipsa formalis. Licet primum esset verum; secundum foret falsum. Sicut indispensabiliter requiritur decretum Divinum, ut sol luceat, ut papyrus sit alba, ut homo sit sanctus, & tamen neque lux ipsa, nequæ albedo formalis, nequæ sanctitas nostra formalis consistunt formaliter immediatè in decreto Divino. Non ergo debent confundi hæc duo. Esse simpliciter necessarium ad aliquid, & esse formaliter illud ali quod.

Cl. Jam rationem à priori totius hujus Doctrinæ audisti, credo, in Philosophia. Sunt aliquæ denominations, quæ ut actu de præsenti verificantur, poscent subjectum, & formam actu de præsenti existere, ut esse album, esse calidum &c. Aliæ poscent subjectum actu existens, non verò formam, ut hominem esse conjugem, esse Religiosum; nam forma Matrimonii est reciprocus conjugum consensus manifestatus, forma Religiositatis est emissio ipsa

ipsa votorum acceptata. Et modò ambo fuerint, homo nunc vivens, est nunc de præsenti conjux, altero quoque vidente, vel Religiosus, licet neutrum ex eis duobus nunc de præsenti physicè existat. Aliæ poscunt formam actu de præsenti existentem non autem subiectum, ut denominatio cogniti, concupitii &c. Nam, ut res actu de præsenti sit cognita, sitvè concupita, necesse est, quod actu de præsenti detur cognitio, detur cupiditas; sed non semper est necesse, quod detur res ipsa. Aliæ demum sunt denominations, quæ nequè subiectum, nequè formam poscunt actu physicè de presenti existentia, ut *rem esse possibilem, esse futuram*; Nam prima stat formaliter immediatè in eo, quod prædicata rei non opponuntur invicem, hæc non oppositio est ex parte rerum ipsissima eorum reciproca identitas pro casu, quo existant, hæc autem identitas non est quidquam modo de præsenti existens, sed *exiturum*, quando res ipsa possibilis existat. 2. <sup>da</sup> Stat formaliter immediatè in eo, quod sub tali vel tali hypothesi detur consensus v. g. ut autem detur sub ea hypothesi non est necessarium, quod actu de præsenti detur consensus, aut ipsius futuritio, id est, non est necessarium, quod actu de præsenti detur in rebus aliquid, quod in se ipso sit, dandum fore *consensum sub illa hypothesi*, sicut datur aliquid, quod in se ipso est illum parietem *esse album*.

## §. Secundus.

CII. **E**t horum omnium ratio à priori est quidditas, sèu natura rerum ipsarum, de quibus est sermo, & quæ cùm dispares sint, non possunt eadem mensurâ regulari. Dico itaque, denominationem *veræ* in scientia, seu cognitione, poscere, quod actu de præsenti existat ea cognitio, sed non semper suum determinativum objectivum: sed solum poscit, ut quod hæc supponit, actu de præsenti existat, quando ipsa scientia enunciatur, vel supponit illud existere de præsenti: & solum poscit, quod objectum fuerit, quando ipsa scientia solum enunciatur objectum fuisse. & solum poscit, quod futurum sit, quando enunciatur futurum esse. At scientia media solum enunciatur suum determinativum, suum verificativum formale, ac

immediatum, id est, operationem liberam creaturæ futuram fore sub libertate A; Ergo ut scientia media sit vera, & consequenter actu de præsenti existens in DEO, necesse non est, quod suum determinativum objectivum actu de præsenti existat, sicut necesse non est, quod sit album, vel nigrum, & sicut necesse non est, quod in hoc loco existat determinativum objectivum propositionis enunciantis Turcam existere alibi.

CIII. Hinc satisfactum habes primæ classi objectionum, quas instruunt præterminantes contrâ hoc determinativum scientiæ mediae; omnes, his, vel illis terminis tendunt in hoc cœntrū. Quomodo fieri potest, ut nunc absolutè de præsenti sit vera scientia vel propositio, sicut nunc de præsenti, nequè datur suum verificatum, nequè quidquam connexum cum eo, quinimmo omnia, quæ nunc de præsenti dantur, penitus sunt indifferentia, ut detur, vel non detur adhuc suo tempore tale verificativum scientiæ mediae, Respondetur, quomodo fieri potest, ut nunc in hoc loco sit absolutè vera hæc propositio, *Turca vivi Constantinopoli*; Si nunc in hoc loco nequè datur vita Constantinopolitana Turcæ, nequè quidquam connexum cum illa, quinimmo omnia, quæ sunt in hoc loco sunt indifferentia, ut ille vivat, vel non vivat ibi.

CIV. Respondebis, quia ea propositio nihil prorsus enunciatur de his, sed purè, & præcisè de vita Turcæ ibi in eo solo loco: & potest dari vita Turcæ in eo loco, tametsi Romæ nequè detur illa, nequè quidquam connexum cum illâ (immensitas quippè Decretorum Divinorum se habet de materiali.) Idem tibi. Scientia media nihil prorsus contingens enunciatur, ut existens nunc de præsenti, sed purè, & præcisè interdum exiturum, interdum non exiturum exercitum liberum sub hypothesi libertatis; potest autem existere, aut non existere sub ea hypothesi, licet nec existat modo, nequè quidquam connexum cum eo; Itaque si rogeris, cur immediatè à priori sit nunc de præsenti verus hic actus scientiæ mediae v. g. *Si existat libertas A in Iuda, ipse confortatus per gratiam DEI salutariter consentiet*. Respondebis, quia ipsa purè, & præcisè enunciatur, quod consensus daretur sub illa libertate: & ex alia parte supponimus

ponimus dandum fore sub illa; sicut ideo à priori formaliter immediatè est verum dicere, *sol lucet*; quia re ipsa sol lucet, & nihil aliud enunciat hæc propositio. Et ideo à priori formaliter immediatè est verum dicere Romæ, *Turca est Constantinopolis*, quia ille revera degit ibi, & ea propositio nihil aliud enunciat, vel supponit. Rursus cur scientia media illud præcisè enunciat? *R.* Quia hanc, & non aliam vocamus, & defendimus scientiam medium, quod situ aliam rearis, impugna te ipsum. Rursus cur potius daretur consensus, quam parentia consensus per libertatem A? *R.* Quia vellet ipsa libertas A, intrinsecè confortata per prævenientem gratiam, & hæc cooperante; & hic sistitur in linea rationis determinativæ, quando sermo est de actu libero, ut jam monui supra.

CV. Quod si morosus aliquis poposcerit, cur libertas vellet talem operationem? Responsum est suprà, scilicet rationem motivam, impulsivamè volendi, posse esse multiplicem: rationem verò strictè à priori, id est, infallibiliter connexam, & omnino antecedentem, nullam esse, aut posse esse pro actu immediatè libero, quæ tali. Sicut nulla potest esse ratio omnino certa, pro conclusione merè probabili; nulla omnino evidens pro conclusione merè obscura; nulla antecedens necessitas pro actu libero libertate indifferentia. Quia hæc omnia respectivè sibi opponuntur. Respondendumquè est, per, *implicas in terminis*, quærenti ista. Sed instabis; Ergò etiam quando Divina scientia enuntiat absolute rem extiram cras, sufficiet, quod cras existat Decretum Divinum permissivum aut causativum per se illius rei, & non requiritur, quod existat hodie. Nego Consequentiam, quia aeternitas, essentialis omnibus actibus Divinis, postulat, quod si actus aliquis existat in aliquo instanti ex eis, quæ aeternitas complectitur, existat eo ipso in omnibus, quia DEUS non incipit in tempore velle, scire, aut nolle: Sicut de ratione immensitatis est, quod si DEUS existat in aliquo loco, existat in omnibus, quæ sunt ex parte rerum; ergò si Decretum Divinum existit cras absolute, & simpliciter, debet existere hodie & semper. Cæterum nihil est, quod

poscat, quod si Decretum Divinum existet prò aliquo casu v. g. prò casu quo existeret libertas A, debet semper, ac prò omni casu existere. Alias nunc existeret decretum, absolute glorificandi Judam, & absolute damnandi S. Petrum, quandoquidem certum est, quod illud existeret casu, quo Judas pœnitens, & Petrus impenitens, decessisset.

CVI. Et ratio est. Habere in uno tempore actum, qui non habetur in alio tempore, est mutari; At vero ab aeterno & in aeternum habere actum, quem in alia rerum peristasi ab aeterno, & in aeternum non haberet DEUS, non est mutari, aut absolute, aut conditionatè, ut constat exemplo nuper dato. Primum ergo, non autem secundum, dederet DEUM. Secunda classis est objectionum, quæ abutuntur indistinctione consensus absoluti, ac conditionati, vel intendunt probare unum distingui ab altero v. g. *Consensus absolutus non est determinatus scientia media;* ergò neque conditionatus, utpote indistinctus ab illo. Vel aliter: *Consensus conditionatus est determinatus scientia media.* Ergo absolutus: Sed hic supponit Decretum actuale Divinum, ut est certum; ergo determinatus scientia media supponit Decretum actuale. Has tricas, ut expedias, adverte. Sicut ex parte rerum non datur quidquam, quod in se ipso sit formaliter affirmatum, formaliter negatum, formaliter disjunctivum, formaliter distributum, formaliter universale. Sed solum contingit, quod ex parte rerum dentur, vel non dentur res ipse singulares, quæ modo unam, modo aliam ex his denominationibus acipiunt ab intellectu, cuius actus est unica forma appingenens has denominationes objectis illis. Ita non dantur ex parte rerum consensus ulli, qui in se ipsis sint formaliter absoluti, vel formaliter conditionati (inde propositiones omnes directè, vel indirectè id innuentes laborant falsa suppositione, & rejicienda sunt illicè tanquam multarum matricis aequivocationum) solum ergo datur ex parte rerum, vel daretur exercitium ipsum libertatis positivum, vel negativum individuum prorsus, & singulare. Dicitur verò, *Consensus absolutus*, quando est objectum scientia absoluta, id est, quando incidit sermo de propositione enunciante rotundè, & absolute illius existen-

existentiam. Dicitur item *Consensus conditionatus*, quando est objectum scientiæ, quæ hypotheticè tantum, suspensivè, ac conditionatè enunciat illud, qualis est scientia media; nimurum locutione figurata, aptâquè ad incautos decipiendos transfert ad objectum qualitas, & proprietas ipsarum propositionum, sèu scientiarum.

CVII. Unde 1. sicut centrum est prorsus idem indivisibile, tametsi lineæ in illud tendentes sint valde diverse, ac oppositæ, itâ objectum scientiæ affirmativa, ac negativa, item determinata, ac disjunctiva, item absoluta, ac conditionata, est prorsus idem, licet scientiæ hæ respicientes illud idem objectum in vicem sint dispare. Unde 2. quando tibi objiciatur, consensum conditionatum distingui, aut non distingui à consensu absoluto; item esse, aut non esse determinativum scientiæ mediae, nega irresistibiliter suppositum, nequè indulgas, donec adversarius veniat ad terminos veros, & minus ambiguos, quia ex parte rerum, nequè datur ista conditionalitas formalis, nequè ista absolutio, nequè ista vaguitas. Quod si adversarius ad terminos redeat veros, & castigatos, scilicet, objectum scientiæ conditionata distinguitur, aut non distinguitur ab objecto scientiæ absoluta: tunc respondere debes. Consensum, qui est objectum scientiæ conditionata, aliquando identificari, aliquando non, cum consensu, qui sit objectum scientiæ absoluta, & consequenter ab eo distingui negativè solum. Etenim vel sermo est de Præscientia Divina conditionata enunciante consensum v. g. qui aliquando est in rebus, vel consensum nunquam extitum. Præscientia enim Divina conditionata, id est, scientia media, non est solum de bono, aut malo usu libertatis nunquam extituro absolute, quia licet ipsa, ut talis, nunquam enunciare absolute talem usum, sicut nec scientia naturalis, multoties ille absolute existit, eo quod scientia illa moveat DEUM, ut largiatur homini eam libertatem, & consequenter existit in rebus ille usus, sèu exercitium, quod DEUS infallibiliter prænoverat extitum ab ea libertate, si ea poneretur in rebus. Imò quotquot exercitia libertatis creatæ unquam fuerunt, sunt, aut erunt, prænoscuntur à DEO

conditionatè per scientiam medium, sicut prænoscuntur per scientiam naturalem solum enunciantem, illa esse possibilia. Inutilis profectò esset scientia media, si solum inserviret concordia Divini Dominii cum libertatibus nunquam extitutis, & non cum omnibus libertatibus Angelicis, & humanis, quæ sunt, fuerunt, & erunt. Igitur si dicatur primum membrum dilemmatis; objectum præscientiæ conditionata, hoc est, scientia media est prorsus idem cum objecto scientiæ absoluta; quia ambarum objectum, & determinativum formale immediatum, est ipsum exercitum liberum creaturæ, quod per unam scientiam enunciatur absolute, per alteram suspensivè tantum, & hypotheticè: Sicut illius ejusdem exercitii absolute existentia enuntiatur sic per scientiam necessariam. *Haec existentia non involvit contradictionem:* Quapropter negandum est assumptum gemini Enthymematis: Nam illud idem exercitium quod DEUS absolute videt per scientiam absolute est objectum scientiæ conditionata, sèu est, de quo DEUS præsciebat per scientiam medium, fore, ut existeret, si daretur talis libertas creata; sicut illud idem est, de quo DEUS sciebat per scientiam necessariam, non constare gemino contradictione.

CVIII. Nec interest, quod hujusmodi exercitium præsupponat Decretum Divinum, tum quia hoc Decretum, quod juxta nos præsupponitur, non est irresistibile, quale ponitur ab Adversariis; sed indifferenter applicativum omnipotentia: tum maximè, quia, licet indigeat decreto Divino, ut à DEO agnoscatur per scientiam liberam visionis; non tamen ut agnoscatur per scientiam purè conditionatam, sicut nequè, ut agnoscatur per necessariam; Unde solum concluditur distinctio virtualis inter has tres scientias; Ergo semper subsistit, quod ejusmodi exercitium non præsupponit decretum Divinum actu existens, & irresistibile in ordine ad scientiam purè conditionatam; Ergo subsistit, quod hæc scientia sit independens ab eo decreto; ergo quod non sit libera DEO; ergo quod sit scientia media; cum ex alia parte sit certum, quod non est scientia necessaria. Itaque quando audias: *Consensus absolutus, si aliquando fuerit determinativum*

tivum scientiæ mediæ, sequetur, quod hujus determinativum aliquando præsupponet Divinum decretum; distingue. In ordine ad scientiam medium nega, sicut nec in ordine ad scientiam necessariam: In ordine ad scientiam liberam visionis subdistingue: Decretum inevitabile, ac irresistibile nega: decretum alterutram carens qualitate concede.

CIX. Sin verò eligatur secundum membrum, dico, objectum scientiæ conditionata non esse objectum scientiæ absolutæ; sed ab eo distingui negativè, non quia dentur ex parte rerum objectum illius, & objectum hujus, & in hac suppositione unum non sit alterum (abst prava intelligentia) sed quia nequè datur unum, nequè alterum absolutè, & simpliciter in rebus, & sic non datur absolutè, & simpliciter utriusque identitas, & consequenter in hoc sensu solum unum non est alterum, & hoc est distingui negativè ab illo; Eo modo quo juxta veram philosophiam possibilis formalis, immediataque rerum, id est, non oppositio, sed summa convenientia, sive identitas prædicatorum ipsorum, distinguitur negativè ab existentia absoluta, quando res non existunt absolutè, & simpliciter, non quia sint due ex parte rerum, & positivè aliquā dividantur distinctione; sed quia identitas rerum nihil aliud est, quam res ipsæ: Ergò his deficientibus deficit quæ absolutè, & simpliciter ipsarum identitas secum ipsis; Ergo tunc res non est actu, & simpliciter ipsa res; Ergo distinguitur negativè à se ipsa, id est, non identificatur actu absolutè secum ipsa. Id in præsentiarum, si loquamur de scientia conditionata, cuius hypothesis objectiva nunquam purificabitur, & consequenter cuius objectivum conditionatum non existet in rebus v. g. Si Judas haberet libertatem A, converteretur: Si S. Petrus haberet libertatem B, oblinaretur, tale exercitium liberum, ut oriundum ab ea libertate nusquam existit in rebus; Ergò nequè identitas actualis absoluta secum ipso. At ipsum foret objectum scientiæ Divinæ enuntiantis ipsum absolutè, si talis scientia existeret; Ergo tunc non existeret identitas actualis inter objectum scientia conditionata, & objectum scientiæ absolutæ, scilicet quia tunc nequè existeret hæc scientia, nequè suum objectum;

Ergò objectum scientiæ conditionata non esset actu absolutè objectum scientiæ absolutæ; Ergò ab hoc distinguitur negative. Quod totum reducitur ad hanc veritatem; Idem penitus exercitium liberum enunciatur diversimodè per scientiam medium, & per scientiam absolutam liberam DEO; sed illud exercitium non identificatur secum actu absolutè & simpliciter, quando non exsilit in rebus.

CX. Ob. Duo distingui realiter simpliciter nihil aliud est, quam unum non esse aliud. *¶* Distinguo, quando hoc contingit purè, & præcisè, quia neutrum existit in rebus nego (alias Anti-Christus nunc realiter simpliciter distingueretur à suis prædicatis, nam cum modo non existat in rebus ipse, nequè sua prædicta, palam fit, quod non existit identitas illius cum suis prædicatis, & consequenter, quod ille non est actu absolute animal rationale: Illæ autem phrasæ de eternitate, necessitate, ac indefectibilitate essentiæ rerum, venustæ sunt; revocatae autem ad Scholasticam trutinam alludunt ad solam veritatem propositionum, enunciantium essentias; non ad essentias ipsas, quam tam possunt non esse in rebus, quam res ipse contingentes: Propositiones autem illæ, cum non affirment absolutè, & simpliciter essentias illas exerceri in rebus, possunt esse veræ (licet tales essentia non sint in rebus) quando unum non esse alterum contingat, alterutro existente in rebus, concedo; Cæterum existente in rebus objecto scientiæ conditionata non verificatur non esse, sed potius esse objectum Divinæ scientiæ absolutæ; nam cum objectum hoc sit identitas secum ipso, planum est, dari in rebus hanc identitatem, quando datur hoc objectum.

CXI. Instabis 1. Identitates rerum sicut etiam distinctiones, sunt prorsus necessariæ, ac invariables; ergo est impossibile, quod objectum scientia conditionata aliquando identificetur, aliquando non, cum objecto scientiæ absolutæ. Dist. antecedens, sunt necessariæ positivè, quatenus semper debeant exerceri in rebus, nego (tum quia hujusmodi identitas soli DEO competit, tum quia ex parte rerum nihil aliud sunt, quam res ipsæ, cumque hæ possint non existere, ut potè contingentes, eidem non existentia subja-

subjacent identitates, distinctiones, cæteraquæ prædicata essentialia) sunt necessariae negativæ, quatenus nunquam dari possit distinctio realis positiva inter rem, & ea, cum quibus identificatur, item nequæ identitas realis immediata inter rem, & ea, à quibus realiter distinguitur, concedo, & dist. consequens. Impossibile est, quod objectum scientiæ conditionatae aliquando identificetur, & aliquando non, ex eo præcisè, quod aliquando existat in rebus, & aliquando non existat, nego. Impossibile est in alio sensu, permitto. Inst. 2. quæ semel identificantur, semper identificantur, & quæ semel non, nunquam. R. Dist. Semper, ac existunt in rebus, identificantur, concedo; etiamsi in rebus non existant, nego: Quia non identificantur actu absolutè, quando non datur actualis absoluta ipsorum identitas; & hæc utpotè indistincta à rebus ipsis, non datur actu absolutè, quando res ipsæ absolutè non sunt in rerum natura; alias homo jam mortuus, vel nondum conceptus, identificantur, actu absolutè cum animali rationali. Similiter, quæ semel non identificantur, dum in rebus existunt, nunquam identificantur, quia identitas non est de genere accidentis, quod abest, & adest, citrè subjecti corruptionem. Objectum autem scientiæ mediae, si existat in rebus, identificatur omnino cum consensu absoluto, id est, cum objecto scientiæ absolutæ visionis, & solum non identificatur actu cum illo, quando utrumvis non existit actu in rebus. Equivocatio stat in eo, quod consensum absolutum, & conditionatum, ratione harum vocum apprehendimus ut duo, cum tamen verè ex parte rerum sit unus, & idem consensus, qui jam vocatur absolutus, quando exprimitur per scientiam liberam DEI, jam conditionatus, quando per scientiam medium, quæ conditionata est, appingendo scilicet objecto qualitates scientiarum distinctarum.

CXII. Instant 3. Ergo omnia, quæ non existunt, non distinguuntur actu positivè, nam etiam corundem distinctio, utpotè illis essentialis, non existit actu in rebus; Ergo homo & equus jam mortui non identificantur, nequæ distinguuntur actu positivè. Item omnia, quæ a tu non exi-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

stunt in rebus, identificantur, si existent; nam ideo deficit ipsorum identitas, quia ipsa deficiunt. R. Concedo illas primas sequelas. Actualis namquæ identitas, & actualis distinctio non sunt contradictoræ, sed contrariae, medium admittentes, siquidem fieri potest, quod neutra actu absolutè existat in rebus, Contradictorum ergo identitatis est, non identitas, quæ non est convertibilis cum actu positivæ distinctione, & Contradictorum distinctionis actualis positivæ est, non distinctio, quæ similiter non est convertibilis cum actu absoluta identitate. Si enim duo non distinguunt actu positivæ, nascatur solum ex eo, quod non existat actu in rebus illorum distinctio, & hoc rursus nascatur ex eo, quod neutrum existat in rebus, tunc ex eo, quod non distinguunt actu positivæ, perperam argues, illa identificari actu positivæ. Hinc nego ultimam sequelam, quia objecta ista purè possibilia, & infinita alia, non identificantur invicem, tametsi actu positivæ existerent; Ergo non ideo præcisè non identificantur actu, quia actu non existunt.

## CAPUT VI.

### Sexta Propositio.

CXIII. **N**imirum: aliquis actus scientiæ mediae indispensabiliter prælucere debet in sensu reali, quidquid sit de nostris inadæquatis, & præcisivis cognitionibus, Decreto collativo auxilii, id est libertatis, & permissivo tentationis (undè hæc scientia non tollit, sed constituit, ac perficit Divinam libertatem) aliquando autem, non semper, unus determinatè actus præ contradictione: Et licet possibilem rear electionem, ac prædestinationem efficacem, tum intentivam, tum executivam gloriæ, ut corona, non præsupponentem absolutam visionem meritorum; Verumtamen scientia media secundum se præcisè inspecta, non præcedit in genere causæ meritoriarum, nequæ instar necessitatis DEUM ad quidquam, alias ipsi liberum; Sed instar conditionis sine qua non, essentialiter exactæ, tum à perpicacia mentis Divinæ, tum à natura libertatis indifferentiæ, quam spontè largitur creaturæ; Scù instar cognitionis indifferenter attrahentis